

Quod ad me, ut minimum et miserrimum et quotidie expetentem, exoptantem et expectantem diuinae clementiae et auocationis horulam, attin, et cupio nullius doctrinae, conscientiae, fidei, famae aut rebus nocere, simplicitas, rectumque tuum me, Christe, gubernent. Ζητῶ Νῶε κίβωτον ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.<sup>4</sup> Crucem uero et exercitium exopto omnibus et [A 2v:] singulis, 5  
 qui iam maiestatem Christi scrutantur iuxta rationis humanae captum et uanis disputationum et quaestionum ampullis expediri posse et limitari gloriam assumtae et glorificatae in Christo carnis nostrae arbitrantur. „Bonum est mihi“, inquit Daud, „quod humiliasti me“ etc.<sup>5</sup> Et recte dicitur: „Non tentatus, qualia scit?“<sup>6</sup> Atque hoc deesse uideo ijs, qui deprauatores sunt manifestae perspicuitatis et ueritatis. 10

Sed audiamus et legamus uerba concionis a Petro habitae, quae in graeco textu sic se habent: Μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἀμαρτίας ὅμως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ τοῦ κυρίου καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεκηρυγμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστόν, ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν 15  
 δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων καὶ λοιπά.

Hieronymi uersio:<sup>7</sup> „Poenitemini igitur et conuertimini, ut deleantur peccata uestra: ut cum uenerint tempora refrigerij a conspectu domini et miserit eum, qui praedicatus est uobis, Iesum Christum, quem oportet quidem coelum suscipere (recipere) usque in tempora restitutionis omnium etc.“ 20

Erasmus: „Quem oportet quidem coelum accipere.“<sup>8</sup>

Ex syri testamenti uersione: „Resipiscite igitur et conuertimini, ut deleantur peccata uestra et eueniant uobis tempora tranquillitatis a conspectu faciei domini, ac mittat uobis illum, qui praeparatus erat [A 3r:] uobis, Ieschua Christum: quem oportet COELOS excipere, usque ad complementum temporum omnium etc.“<sup>9</sup> 25

Ex germanica D. D. Lutheri uersione omnium dexterrima et maxime perspicua: „So thut nu buß vnd bekeret euch, das ewre Sünde vertilget werden, auff das da kome die zeit der erquickung für dem angesicht des Herrn, wenn er senden wird den, der euch jetzt zuuorn geprediget wird, Jhesum Christum, 30

<sup>4</sup> Gregor von Nazianz, Carmina de seipso XIII, in: PG 37, 1243.

<sup>5</sup> Ps 118,71.

<sup>6</sup> Sir 34,9.

<sup>7</sup> Gemeint ist die Vulgata: Biblia sacra iuxta Vulgatam versionem, Stuttgart 2007.

<sup>8</sup> Novvm Instrumentum omne, diligenter ab Erasmo Roterodamo recognitum & emendatum, non solum ad graecam ueritatem, uerum etiam ad multorum utriusque linguae codicum, eorumque ueterum simul & emendatorum fidem [...] emendationem & interpretationem [...], Basel 1516. Zahlreiche Folgeauflagen.

<sup>9</sup> Die Angabe bezieht sich auf die 1569 durch den Heidelberger Professor Immanuel Tremellius edierte Ausgabe der antiken syrischen Übersetzung des Neuen Testaments, in der das griechische Original und die syrische Version jeweils mit lateinischer Übersetzung abgedruckt sind. Vgl. H KAINH ΔΙΑΘΗΚΗ. TESTAMENTVM NOVVM. ܐܘܪܝܬܐ ܐܘܪܝܬܐ. Est autem interpretatio Syriaca Noui Testamenti, Hebraeis typis descripta, plerisque etiam locis emendata. Eadem Latino sermone reddita [...], Genf 1569, 334r.